

S. XVIII  
1704  
(26)

# ORATIO

de

VALENTINAE ACADEMIAE IN OMNI VIRTUTUM

ac disciplinarum genere praestantia

IN ILLIUS STUDIORUM INSTAURATIONE

die 18 mensis Octobris an. 1829.

RECITATA

à P. Mag. Doct. Fr. Georgio Comin et Benson  
Decq. et Milit. Ord. de Mercede Elit. Gen.  
necnon Sac. Scientiae et Eloquent.  
Professore.

---

VALENTIAE:

Apud D. Franciscum Brusola, Univ. Typog.

AN. DOM. MDCCCXXXIX.



Oratio

*De Valentinae Academicæ in omni virtutum,  
ac disciplinarum genere præstantiâ.*

Vellem, Rector dignissime, Concathedratici re-  
nitissimi, Auditores ornatissimi, cum in hunc lo-  
cum ad dicendum amplissimum non sponte, sed  
ad muneris mei partes explendas, utque legibus  
à piissimo Rege nostro FERDINANDO Hispanici  
Imperii vere patre, litterarumque munificentissimo  
patrono, quem Deus Op. Max. diu saluum inco-  
lumemque conservet, in egregia studiorum omnium  
pro universa Hispania stabilita methodo, sapien-  
tissime constitutis, sedulo, ut par est, optemperem,  
consecendo; vellem, inquam, eo uti argumenti ge-  
nere, quod non ab hac annua solemnî studiorum  
instauracione abhorreat, neque auribus doctissimo-  
rum hominum, qui tanta humanitate tantoque

2  
studio ad novum oratorem audiendum convenere, indignum videatur. Mihi quippe in tanta rerum ubertate quodnam potissimum seligerem diu cogitanti artes optima, liberalioresque in primis carissimae observantur omnes disciplinae; singula quaeque animum acriter pungit atque sollicitat, ut ceteris praetermissis hodierna die de ea solummodo sermonem instituam. Hinc me acuit vehementissime, vocemque audacter extollit litterarum omnium lumen ac decus eloquentia, qua nihil utilius mortalibus invenire queas; quam majores nostri ita impensè coluerunt, ut cum Rhodiis, cum Atheniensibus, imo etiam cum Romanis merito valeant decertare; ejus tandem praecepta ex vestra praecipua commissione per biennium juventuti libenter tradidi. Illinc splendissimo sese mihi offert ornatu divina poesis, quam Falconius noster, et Nufetius sexcentique acri judicio ac sapientia assatim praediti valentini vates in amore ac deliciis habuere, quam veluti donum è caelo delapsam, ut mentes ab immis terrestribusque rebus ad sublimia, ad caelestia prorsus erigerentur, summa cura diligentiaque posteris fovendam tradiderunt. Hinc adest vividissimo rationis lumine undequaque circumdata virtutum solers magistra, vitiorumque expultrix philosophia, quae, ut ait Seneca, fortunae dominatur, iratam temperat, secundam moderatur. Illinc quae omnium scientiarum incedit regina theologia; denique omnia studia, veluti agmine facto, quaque versum me petunt, me circumstant, me

3  
commovent, accendunt. Verum enim vero vincit amor pulcherrimae patriae, quae nihil mihi, nihil vobis, *lectissimi viri*, carius esse debet. Etenim, si Tullio teste, caritas patriae omnes omnino caritates vehementius complectitur; si quisque patriam, licet infelix ea sit, rebusque omnibus, quae ad vitae delicias et abundantiam expeti solent omnino destituta, amore prosequitur incredibili; nos, qui Dei Opt. Max. beneficio celeberrimam patriam nacti sumus, quae nobilitate generis, majorum gloria, rerum gestarum amplitudine, soli mira fecunditate, fontium facile scaturientium ingenti multitudine, coeli jucundissima temperie, nulli terrarum genti concedit, nos, inquam, hanc felicissimam Edetanorum provinciam, litteratissimorum regionem, doctorum hominum perpetuam uberrimamque officinam, ingeniorumque alticem, non amore singulari prosequendam judicabimus? Non eam ardentissime diligemus? Non qua ingenio, qua labore, qua summis laudibus ornandam illustrandamque totis viribus enitemur? O pulcherrima soli valentini natura! O nostratium egregia in-  
doles et ingenium!

At verò ne per amplissimam laudum segetem, veluti per latissimum nullisque terminis circumscriptum campum mea decurrat et exsullet oratio, certis sane, exigisque finibus coerceatur necessum est. Ita profecto: hisce tantum, qui nos circumstant parietibus continetur. Te igitur unam intueor, Valentina Academia, quae

4  
legibus, statutis, solertissima omnibusque nume-  
ris absoluta docendi ratione, praeceptorum prae-  
stantia, litterarum gloria, audientium numero, et  
Religionis Catholicae splendore; nedum cum Bo-  
noniensi, cum Parisiensi et Napolitana, sed cum  
totius antiquitatis celeberrimis Scholis; quin vin-  
ci unquam possis, decertare vales; cujus egregias  
in omni virtutum ac disciplinarum genere laudes,  
quam brevissime poterò attingam, ut audientium  
animos, si quid dicendo valeam inflammem ad  
majorum nostrorum vestigia presso pede sequen-  
da, et sapientissimae nostrae matris decorem, si  
qua fieri potest, adaugeamus.

Neminem vestrum ignorare arbitror, A. O., ar-  
ctissimum sane vinculum esse virtutem inter et  
litteras, ita ut non possit illa corrumpi, quin lit-  
terae eodem labefactatae motu penitus concidant.  
De morum ergo gravitate atque praestantia, ac  
simul de scientiarum gloria agendum sit magistra-  
tibus, qui furentes juvenum cupiditates compesce-  
re, qui rempublicam salvam fortunatamque, et  
Academiam florentissimam, à qua omnia bona  
veluti ex uberrimo fonte latissime profluant, sta-  
bilire velint. Alioquin si nihil de virtutibus capes-  
cendis, nihil de pietate, nihil de morum inno-  
centia cum doctrinae laude conjungenda in ipsis  
addiscendis, scholasticis sit curandum; ingenti eum  
dolore, libere tamen dicam quod sentio, per to-  
tum terrarum orbem illico claudantur gymnasia,  
omnia doctissimorum hominum flammis tradantur

5  
monumenta, pereant omnino litterae, ac ipsum  
penitus disciplinarum nomen deleatur. Ita majores  
nostros sensitisse si quis inficias iverit, inscius pro-  
fecto erit. Certum quippe exploratumque est, eos  
juventuti valentinæ ad scientiarum arcem feliciter  
adeundam per virtutem iter tutissimum com-  
muniisse. Quo amore, qua te benevolentia com-  
plectemur, Jacobe invictissime, quo nec justitia  
alter, nec rerum gestarum amplitudine major un-  
quam fuit, qui immanissimo Saracenorum jugo ex-  
cusso; statim ac Civitatem nostram in ditionem  
tuam cepisti, de domicilio liberalibus disciplinis  
erigendo cogitasti, ita tamen, ut sanctissimis Fidei  
praeceptis, aureisque Evangelii moribus accuratis-  
sime juvenes informarentur! Tu, ut viros pietate  
et eruditione spectatissimos adolescentibus praefi-  
ceres, ab Eugenio IV. obtinuisti, ut Ecclesiastica  
dignitate pollentes viri, qui erudiendae juventutis  
munus, quo nullum majus, meliusve afferri potest  
reipublicae, exercerent; Beneficiorum omnium pro-  
ventus, ac si divinis laudibus in Ecclesiis adessent,  
integre suscipiant. Quibus te laudibus prosequemur,  
fortissime Religionis Catholicae athleta, Or-  
dinis mei nostraeque Urbis Valentinæ decus et  
ornamentum, Petre Paschasii, qui dum sacram Theo-  
logiam publicè nostratibus traderes in doctrina-  
rum percurrenda ratione primas virtuti sem-  
per deferre docuisti, futurisque praeceptoribus,  
qua via juventutem ad germanae sapientiae  
culmen feliciter attingendum, veluti manu tutis-

sime ducerent, divino plane consilio ostendisti? Jam vero, quae uertas ingenii, quae tanta dicendi vis tantaque copia potest existere, quae patres pro suis in nostram Academiam meritis, gratias referre tibi valeat, fax lumenque non Dominicanae tantum, sed et totius Religionis Christianae, Vincenti Ferreri, qui diu multumque adlaborasti, ut publicum hoc et omnium studiorum gymnasium amplissimis privilegiis cunctisque honoribus, quibus celeberrimae per universam Europam scholae stabilitae erant, in patria nostra constitueretur: et post ingentes exanthlatis labores valentinis et hispanis omnibus mirum in modum plaudentibus, anno millesimo quadringentesimo undecimo tandem consecutus es? Tibi igitur, Dive Vincenti, tibi Ecclesia, tibi patria, ac praesertim Academia gratias agere gestit, tibi se perpetuo devotissimam proficitur non modo quod ope potissimum tua constituta sit; sed quod sanctissimis etiam legibus statutisque veluti firmissimo aeternumque duraturo fundamento inmixam voluisti. Proh Deum immortalem! Noverat vir ingenio omnigenaque, prout tunc erant tempora, eruditione abunde pollens potensque, accurata methodo omnique studio et diligentia à Justino Antistite quondam valentino morum integritate ac omnium scientiarum gloria celeberrimo, humanas divinasque litteras antiquis temporibus traditas fuisse: noverat ab egregiis Divi Basilii alumnis, monachis quidem de litterarum republica optime meritis, qui

Podiense, Monasterium haud longe ab urbe nostra conditum incoluere, plurimum splendoris omnes artes accepisse: noverat quanto ardore, quam amplissimo fortunatoque exitu in Servitano Augustinianorum Coenobio cultas fuisse: ibi musarum sedes ac litterarum bonarum omnium contubernia existisse, ab eotamquam ex uberrimo fonte Theologiae et Eloquentiae flumina latissime profluxisse, quae vastissimum Ecclesiae campum, difficillimis temporibus undequaque irrigarunt. Ingenti tot cogitationum apparatu munitus, auctor praecipuus existit, ut prudentissima, ut auro cedroque dignissima statuta legesque Senatus Valentinus sanciret, quae si neglectae despectaeque nunquam sint, Academia nostra mirifice floreat necessum est. Huc accedit quod haec statuta legesque licet optimaec, licet omnium gentium litteris atque linguis celebratae, nihilominus anno millesimo quadringentesimo nonagesimo octavo ad examen iterum iterumque solerter nimis revocatae, pro loco et tempore apposite scienterque adauctae, tandem ab Alexandro VI. approbatae, omnium gratulatione et plausibus pene ad miraculum adlaboratae, prodierunt: nihil illis uberius, nihil utilius, nihil demum excogitari posse videtur excellentius. Ibi praeceptorum et audientium munera apprime descripta, ibi quaecumque discipulis tradenda, quae velis remisque fugienda, ut bene morati sapientesque evadant, reperientur; quae juvenes transversos plerumque agere solent, quae eos à

virtutibus, ab optimorum librorum lectione, quae ab officio tandem magna cum ipsorum patriaeque pernicie avocant, santissimae illae leges longe lateque pellunt. Ita ne verò? ita sane. Nocet maxime fluxae adhuc aetati et imbecillae, improborum societas, utpote quae ferventibus cupiditatibus flammam ignemque admovet? Nihil est adolescentibus perniciosius, quam publicae domus ludorum, ubi furere, rapere, ac debachari discunt, ubi et tempus et pecuniam, omniaque tandem bona misserrime perdunt? At quam bene, quam pulchre sapientissimeque cavisti, nobilissima Academia, ne juvenus videlicet parentum spes, rei publicae opes, hisce scopulis praeruptisque saxis illideretur, ne syrenarum delinita cantibus, misere contabesceret! Tu, procul hinc, procul à tuis finibus hujusmodi monstra seu potius amplissimae honestatis ingeniorumque voragines abessent, accuratius providisti: Tu ne castissimos mores, quos apud te dedicissent, apud histrionum turpissimum gregem malo fato amissos, tandem aliquando frustra juvenes lugerent, spectacula penitus interclusisti.

Jam vero, cum difficillimum omnino sit tueri aestrenam juvenum multitudinem legibus, et cogere tantum supplicio ad officium; frustra pericula, quae exterius minitantur quisquam eliminanda curabit nisi animus ad cupiditates pronus altius Dei timore divinisque praeceptis communiatur; Academiam nostram id nedum sedulo egisse,

sed etiam diligentissime quovis tempore perfectissime, vel audacissimum quisque inficari nunquam poterit. Quamobrem non sum hoc loco praedicaturus lectissimos semper juventuti praeceptores constituisse, qui in Christi sanctissimam Religionem ardentissimum amorem, in patriam caritatem singularem, in parentes ardentissimam benevolentiam qua voce, qua exemplis tenacius instillarent; non dicam legibus severissimis interdixisse pravam librorum lectionem, ut tetricam hanc pestem, quae passim in urbes irruit, ab audientium manibus extorqueant, ut odio plus quam vatianiano prosequantur, ut fugiant, citissime ab se rejiciant, penitus detestentur: et ingenti studio atque cura evolvant, amababab, ut ajunt ulnis amplectantur loculentissima volumina, quibus voluntas ad altiora quaeque inflamari, et fluxis rebus voluptatibusque omnibus despectis, intellectus splendidissimo utilissimarum rerum lumine illustrari ditarique potest. Quid plura? Tu nedum legibus juventuti patriaeque felicitati magnopere consulisti, sed ut vitia, ut probra, omnia prorsus mala ab animis mentibusque adolescentes egercerent, vulneribusque alte cordibus eorum infixis citius medereris, nihil intentatum reliquisti. Tu Francisco Veo, strictioris Observantiae Divi Francisci, viro ob ardentissimum in Christi Religionem, animarumque salutem zelum valde conspicuo praecipue agente, juventutem ad peccata sacramentali confessione quotoquoque mense expianda, animumque Christi sacratissimo Corpore reficiendum compu-

listi: utque hostis vaferrimi insidias sollicitationesque facilius vinceret, tutoque aspernaretur, id deinceps perpetuum fore nullumque decurrere mensum, quin hoc pietissimum imo et pernecessarium opus devotissime adolescentes exsequerentur jussisti. Quae cum ita sint, quis mirabitur valentinam juventutem hisce legibus, statutisque veluti firmissimis propugnaculis undequaque circumdatam mirum in modum non solum profecisse, sed ex ejus quoque sinu splendidam innumeramque piorum virorum phalangem coelestium consilio dignissimam quavis tempestate prodiisse? Mirabitur, inquam, ad Academiam nostram veluti ad piissimam Matrem et populos, et civitates, et provincias mentis aciem convertisse, grataque animi significatione percussas summis eam ad coelum laudibus semper extulisse? Quare jure tibi in primis gratulatur Ecclesia Giennensis ob suum Antistitem clarissimum Petrum Paschasium, qui eam Dioecesim verbi divini praedicatione, sanctissimis legibus, et demum suo sanguine decoravit. Tibi universa Hispania, tibi Gallia, tibi Imperii Christiani caput ipsamet Roma, sese devinctam prosterit ob studiorum tuorum facile Principem Vincentium Ferrerium, eximium verbi divini praeconeum, qui invicta prorsus eloquentiae vi, atque praestantia, veluti acutissimis mucronibus vitiorum monstra ubique confodit, judaeorum, omniumque suae aetatis haereticorum deliramenta aperuit, compressit, revicit, atque Apostoli Valentini cognomine patriam carissimam decoravit. Tibi, a

nobis longissime divisa America, factionum turbibus huc, illic in praesenti raptata, Tibi inquam, gratias agit amplissimas, quae alumni tui Ludovici Bertrandi sanctitate morumque innocentia celeberrimi vivida praedicatione, e coelo delapsam Christi Religionem amplexa est. Jam vero virtutibus eximisque in universam Ecclesiam promeritis Hieronymi Lanuza, Dominici Sarrio, Laurentii Company, qui ex Mercedario voto in Africa non solum captivos redemit, sed et pro non redimendis in Saracenorum potestate sexdecim annorum spatio captivus permansit, Jacobi Percii, qui Augustinianam Familiam, Valentiam Dioecesim, hanc Scholam fulgentissimis virtutibus illustravit; sanctissimi hominis et viri fortissimi in omni virtutum genere in primis magni ac praecellenti Josephi Calasancii, egregii Gasparis Bono, ac demum Petri Nicolai Factoris, qui ardentissimo Christi amore, veluti turbibus vorticibusque quaquaversum raptatus, instar civis caelestis beatissimis illis coetibus frequentissime diu interesse visus fuit: quae, inquam, aliorum quos ob egregias suas virtutes aeternitas alet, posteritas intuebitur, incredibili multitudini poterit par oratio inveniri? Sinite, A. O. silentio praetermitam quam plurimos alios de litteris, de patria, de religione optime meritos, hujus nostrae Academiae Alumnos, quorum nomina litterarum monumentis consignata in omnium hominum semper plausu erunt. O mirandam tuarum legum praestantiam! O infractam in illis custodiendis re-

ligionem! Est, est profecto Academia Valentina, cur elata fronte ubique terrarum procedas: est, cur gaudium, atque laetitiam agites, omniaque tibi in posterum pollicearis, quod nimirum ex innumera multitudine, quam in sinum tuum Doctoris laurea insignitam cooptasti, ne unus quidem extiterit, qui ab Ecclesiae castris turpiter defecerit; qui ab accepta Catholicorum dogmatum fide, quam tradidisti, ne latum quidem anguem discesserit. O gloriam singularem litteris monumentisque praedicandam! Quam quidem immortalem gloriam Tibi uni propriam quanta maxima possim vocis contentione conclamo: Tibi etiam perpetuam futuram fidentissime audeo polliceri. Quid? cum ab omni peccati macula prorsus immunem Beatissimam Dei Matrem ad populum publice in Ecclesia dum sermonem haberet, quidam stulte nimis pernegasset; omnes Valentini Academici ardentissimo, quo flagrabant in veritatem Matremque Dei amore vehementius acti atque compulsi, ad Ecclesiam Cathedralam illico convolarunt, et coram Episcopo Valentino Ausias Carbonell ex doctissimo Praedicatorum Ordine, viro et virtute et litteris longe praestantissimo, ad immaculatam Virginis Conceptionem totis animi viribus defendendam, solempni sese sacramento ante aras devinxerunt. Quid plura? Cum de mysterio Conceptionis Beatissimae Virginis Mariae magna animorum contentione ubique ageretur, omnigena eruditione praestantem inque rebus gerendis peritissimum Ludovicum Crespi à Borgia, no-

bilissimum Valentinum, Hispaniarum Rex Philippus IV. ad Alexandrum VII. legatum Romam misit, qui tanta solertia ac dexteritate rem difficillimam gessit, ita adlaboravit, perfecitque; ut per brevi tempore summus Pontifex edictum protulerit ad immaculatam Virginis Conceptionem rite solemniterque per universam, quae longe lateque patet Ecclesiam, celebrandam. Id cum primi omnium Scholastici valentini noverint ingenti laetitia subito exagitati, choreis, et arcibus in triumphum erectis, et miris effusissimi, quo raptantur, gaudii significationibus diu magnopere celebrarunt. Et quisquam dubitabit Academiam nostram singulari hujus pietissimae Matris, quae tartarei draconis caput nequissimum confregit, quae sola haereses omnes dissipat atque interimit, patrocinio constitutam ita perpetuo mansuram, ut ex suis alumnis omnino nullus Catholicae Fidei dogmata, aut divina ipsius praecepta oppugnare audeat?

At vero cum haec tanta virtutum lumina ex limpidissimis philosophiae moralis ac bonarum artium fontibus sua veluti sponte fluant, arctissimoque proinde foedere cum litteris pietas copuletur; Te, nobilissima Academia, tamquam divinae Sapientiae penitus consecratam in omni disciplinarum genere primas tulisse audebit sanae mentis quisquam inficiari? Nonne hic omnia studia summo in honore semper sunt habita? Nonne apud Te optima disciplinae quovis tempore mirum in modum florere? At quoniam casu de philosophia mentionem



intuli, ab ea initium gloriæ nostræ in litteris amplissimæ hodiernæ die celebrandæ breviter summatimque capiamus. Non dicam in hoc pulchere scholastico Hieronimum Muñoziam, Joannem Monllorium, Didacum Mas aliosque bene multos ita palmam ceteris omnibus præripuisse, ut è longissimis populis auditores innumeri quotannis convenerint; cum plena sint vetera scripta, pleni sapientum libri, plenæ monumentorum bibliothecæ, quæ meridiana luce clarius ostendunt; et Neapolitanam, et Lovaniensem, et Burdigalensem celeberrimas Academias aut è nostratibus præceptores habuisse, aut eos summis honoribus magnisque præmiis invitasse. Quæ nonne. Gelidam nostrum in rebus philosophicis valde egregium magnopere Ludovicus Vives laudavit, atque veterum philosophorum facile Principi Aristoteli cœquare minime dubitavit? Quæ dicam de Antonio Sauchis Nolasci filio, et Archiepiscopo Tarraconensi, qui dum philosophiam publice hic traderet, maximi cognomen inter litteratos adeptus est? Quæ de Antonio Gralla, Paulo Cenedo, Joanne Ruisonio ejusdem familiæ alumnis, de Joanne Nunecio, Petro Monzonio et Gaspare Tauenga de quorum laudibus nulla unquam actas conticescet? Quæ est in universa philosophia, cui in primis hæc in nostra Academia vacabat Emmanuel Marti Alonensis Ecclesiæ postea Decanus, quid, inquam, est tam arduum atque difficile quod non eximia atque incredibili mentis vi et præstantia non penetraverit, mira deinde audi-

toribus facilitate explanaverit? Nonne Romæ penitiora naturæ arcana his decem pulcherrimis elegiis clarissime aperuit? Quæ nonne de animi affectibus ita disseruit, ut linguam latinam et versibus et epistolis aliisque magni momenti lucubrationibus ornaverit? Nonne aurei sæculi nitorem et sales ita expressit, ut Romanorum admirationem et plausum merito obtinuerit? Ne diutius vos inmorem, Aud. Amp., certum exploratumque est nostros Parisiis metaphysicam tradidisse, physicam mirifice illustrasse, de universa demum philosophia acri, quo pollebant ingenio acutissime disseruisse, monumenta inde præclarissima vulgasse, quæ pretio maximo etiam auro contra eruditissimi quique comparare non dubitarint. Ex mathematicis disciplinis uberrimam luminis accessionem philosophia accepit? Sese mihi glomeratim sexcenti generosi valentini cum clarissimis Tosca et Aparisio nostro offerunt in hisce utilissimis disciplinis adeo duces et antesignani, ut eorum laudes fusius persequi supervacuum ducam.

Jam vero divinæ Theologiæ uberrimum campum multitudine sapientium virorum, qui in divinis dogmatibus pertractandis sententiarum dignitate quadam nobilissima atque peculiari longe lateque præstiterunt, jure merito ingredi pertimesco. Quæ nostris Theologis gravius? Quæ excellentius prisca tulere sæcula? Nonne ex decem pro sacra Theologia tradenda constitutis cathedris quemadmodum olim ex Platonis schola innumeri philosophi prodire, rutilantem excellentium theologorum pha-

langem continuè prodeuntem exterae gentes nostris plaudentibus admiratae sunt? Doleo vehementer me hisce temporum angustiis redactum Joannem Peresium, Franciscum Sanctium, Jacobum Ferrutium, Joannem Ludovico, eruditissimum Stella, et Marcum Serra egregios plañe divinae scientiae magistros, singulari, quo par erat laudum praeconio extollere non posse. Quid enim vero, quis tacitus praetereat Franciscum Maresme, qui in humanis divinisque litteris amplissimam cognitionem in Concilio Basiliensi maxima hispanorum gloria multoties ostendit? Quid Cosmam Polmas de Fuentes et Joannem Burgos, qui coram Patribus in Synodo Tridentina, hic Dominica tertia Adventus, ille vero die Cinerum sermones habuerunt eloquentiae robore, eruditionis copia divinaeque doctrinae ubertate praestantissimos? Quid premere silentio audebit Petrum Armengaudium Folc ex Mercedaria Sobole? Quid ex eadem Hieronymum Perez, qui postquam Theologiam per plures annos in nostra Schola professus est, Gandiam à Divo Francisco Borgia vocatus, ipsum et Andream Oviedo et Emmanuelem Sos, quorum scripta per omnium ora volitant, theologiac disciplinis erudit? Quid taceat ex ipsamet stirpe Gregorium Arcis? Quem virum nomino bone Deus! in philosophorum placitis enucleandis, in divinis litteris, in Theologia tradenda, in morum praeceptis dilucide explicandis nihil Gregorio acutius, nihil magnificentius inveniri nunquam poterit; qui uno eodemque tempore duas Salmanticae Cathedras obs-

tinuit, quem Parisiensis Academia ingentibus praemiis, honoribus cumulatissimis, obstinato animo, frustra tamen diu expetivit. Qui medicam facultatem ita perfecte calluit, ut merito et Paulus, et Julius III. ne otiosa, et dolenti naturae inutilis foret, Religiosae professionis ergo impedito, exercendam permisit. Quid de te dignum eloqui valeam, Philippe Bertrande Salmantinae civitatis Antistes praestantissime, sacrique Fidei Tribunalis in Hispania supreme censor et praeses, qui virtutibus, scriptis verborum concinnitate, sententiarum gravitate, doctrinaeque coelestis praestantia refertis hanc Academiam et Christi Ecclesiam illustrasti? Quid de te nullis pietate et sacrae doctrinae supellectili secunde, omnique praedicatione major, eruditissime Joseph Climent, qui ut planam juventuti expeditissimamque ad theologicas disciplinas capendas sterneres viam cathedram à viris Mercedariis perpetuo regendam instituisti? Dies profecto me deficeret si sapientissimos viros Marquesium, et Satorre, et Rafaelem Lassala, nostrisque temporibus Isidorum Villarogium, et Augustinum Cabades, quorum ultimi duo Theologicas Institutiones, ut juventuti ad sacram scientiam adipiscendam apertior aditus patèret, sapientissime scripserunt; aliosque multitudine innumerabiles divinae doctrinae praestantia spectatissimos vellem commemorare.

Age vero si Juris scientiam contemplari paulisper velimus, et temporum memoriam repetamus ultimam, facili quidem negotio intelligetis floruisse in

haec Academia viros utriusque juris praestantissimos, quorum sententiam in rebus difficillimis et principes, et civitates ceteraque Academiae exquisierunt; invenietis hic fuisse et Cajos, et Paulos, et Papinianos et Ulpianos, qui dicendi perspicuitate summoque delectu de jure universo accuratissime disseruerunt, omnia justitiae legumque praecepta miro plane ordine et diligentia ita protulerunt; ut quemadmodum Deus Op. M. olim quosdam sempiternae memoriae viros tulit; ita ad sartam tectam societatem hominum servandam justitiaeque splendorem; et Ximenium Perez, Simonem Frigola, Didacum Sanctium, Raymundum Mora et Almenar, Laurentium Matheum in Aragoniae celeberrimo Consilio, et Sede, et Praefectura decoratum, ejus scripta et Lugduni, et apud Venetos typis magnificentissime edita ab eruditissimo quoque jurisperito avidissime conquistata sunt: Joannem Sala Metropolitanae Ecclesiae Praepositum, cujus volumina de universa jurisprudentia clare et eleganter scripta Rex noster Ferdinandus Septimus in Academiis omnibus explicanda firmiter jussit; aliosque bene multos diversis temporibus in fortunatissima Edetania vidimus excitatos. Quid de rethorum nostrorum gloria dicam? Quid de poetarum sublimi prorsus divinoque aestu ac concinnitate loquar? Quid de innumeris viris graecarum et haebraicarum litterarum peritissimis?

O praecelaram Valentini nominis gloriam! Etenim quae urbs florentissimis etiam illis Augusti temporibus, quibus eloquentia, si dici placet, terras inco-

lebat, et cum illis gentibus familiariter versari, immo etiam ab illis amplecti et osculari laetabunda nimis patiebatur; quanam inquam urbs reperietur, quae uno eodemque tempore quatuor celeberrimos oratores publicis sumptibus cumulatis aleret, qui possint cum Pineda cum Bosulo cum Palmireno comparari? Quibus laudibus Perpiniatum, Garciam, Nunezium et Escovarium efferam? Quibus extollam verbis eruditissimum Raymundum Rebolida ex Redemptorum familia in hac Academia artis rethoricae meritissimum professorem? Quos omnes si Tullios, Demosthenes et Platonem, eloquentiae apud antiquos fama prae ceteris commendatissimos, appellare voluero, nihil dicam novi. Testis Gallorum imperii caput Parisii, testis ipsa Roma, quae duae civitates potentissimae, quum Escovarium, Garciam et praefatum Gregorium Arcis de rethorica, de poesi, de humanioribus litteris, de omni disciplinarum orbe tanta eruditionis copia, tanta sententiarum gravitate verborumque nitore publice disserentes audivissent; maxime encomiis ad sempiternam nominis valentini gloriam hos cives nostros decorarunt. Sinite Aud., sinite Academ. praestantissimi, me hoc loco praeterire quantum decus, quam praecelaram et cum omni posteritate adaequandam gloriam ob medicorum peritissimorum doctrinam haec Academia consecuta fuerit. Nam neminem vestrum latet hic floruisse viros nobilissimos Ludovicum Collado, Hieronymum Ledesma, Vincentium Gilium, Michaellem Vilar, Piquerium et Villanovam, qui in ca-

daveribus dissecandis, herbarum dignoscendis vir-  
 tutibus, in omnibus denique quas medicina com-  
 plectitur artibus perfecte exercendis, praestantissi-  
 mos quosque exterarum gentium doctores ita aemu-  
 lati sunt ut certatim à Regibus et Urbibus et Aca-  
 demis exposcerentur, praemiis eos invitarent, hono-  
 ribusque ferme Alexandrinis medicis paribus excepe-  
 rentur. Quantum vero dicendo in Synodo Tridentina  
 Ferrutus noster, quantum narrando Mišana, quan-  
 tum scribendo Majansius, quantum et investigationi-  
 bus et disputando profecerunt litteris omnibus monu-  
 mentisque decorandi Antonius Cabanilles et Franciscus  
 Perecius Bayerius inter omnes constat. Quis audacem  
 prorsus quorundam scriptorum turbam, quae hispanos  
 pessime de litteris semper meritis affirmare non du-  
 bitavit, veritatis, et patriae amore percitus aggressus  
 est? Antonius Cabanilles. Quis invictissimis argu-  
 mentis luce meridiana clarioribus eorum stultiam  
 monstravit, insidiam turpissimam patefecit? Antonius  
 Cabanilles. Quis humanis divinisque litteris omni-  
 genam solidioremque hispanorum eruditionem egregie  
 vindicavit asseruitque? Antonius Cabanilles. Quis  
 de herbarum plantarumque natura uberius disseruit,  
 ita ut in artis Botanicae penitioribus secretis investi-  
 gandis, proprietatibusque explicandis et veteres et  
 recentiores rerum naturalium scrutatores longo su-  
 peraverit? Antonius Cabanilles. Franciscus Perecius  
 Bayerius autem Galliam adiit, Italiam univer-  
 sam discendi studio peragravit, Europamque omnem  
 in sui admirationem convertit. Quis ignorat ita de

rebus difficillimis eum cogitasse, scripsisse, cum to-  
 tius Europae sapientibus familiariter egisse, acriter  
 eorum ducibus quandoque disputasse, ut et splen-  
 dorem et lumina praeclarissima obscurare, ut sentien-  
 di praestantia et dicendi majestate palmam ubique  
 praeriperit

Verum enim vero inter tot Valentinorum egre-  
 giam prorsus laureatamque multitudinem, cerno se-  
 se extollentem, caputque longe efferentem Ludovi-  
 cum Vivem, quem virum bone Deus! in omni disci-  
 plinarum genere facile principem et antesignanum  
 cujus nomen ad cumulatissimam nostrae gentis lau-  
 dem abunde sufficit. Quis Ludovico Vives sanctior?  
 Quis illustrior? Quis unius Ludovici Vives nomine  
 audito, ingenti quodam admirationis aestu correptus  
 Valentinus fortunatissimos non praedicat? Non ad te,  
 nobilissima Academia, illico oculos animumque con-  
 vertit? Non libentissime gratulatur? Omnia bona  
 dicit? Legenti cuivis sua praestantissima scripta sta-  
 tim occurrit Ludovicum Vivem à coelo delapsam ad  
 rem omnem litterariam mirifice amplificandam: illi  
 Philosophiam, illi Eloquentiam, illi Theologiam, illi  
 demum omnes omnino artes decus, nitorem, vim,  
 gravitatemque debere cuncti fatentur.

Quae cum ita sint, merito hanc Academiam et  
 studiorum famam, et scriptorum numero atque prae-  
 stantia semper floruisse Andreas Scotus affirmare  
 non dubitavit: merito apud exteras gentes virosque  
 litterarum gloria spectatissimos tanti habita semper  
 fuit, ut etiam ex longissime dissitis regionibus huc

discendi studio inflammati, quam plurimi confluerint uberrimosque germanae sapientiae virtutisque ceperint fructus, quibus muniti praestantissima Reipublicae munia, amplissimasque Ecclesiae dignitates miram in modum illustrarunt. Recordamini tot Episcopali dignitate decoratos viros, qui scriptis atque virtutibus Ecclesias sibi concreditas clariores reddiderunt, remque litterarum publicam magnopere amplificaverunt. Recordamini tot sagi togaeque ornamenta; tot virtutum splendore omni prorsus doctrinarum suppellectili cumulatos cardinales: nostrisque temporibus morte praereptum Dominum Franciscum Cebrian et Balda Setabis natum, qui a prima juventute in Academia nostra pietate et litteris eruditus, postea praecceptoris solertissimi, rectoris vigilantissimi, ac vicecancellarii officia cumulatissime explevit, ingenio, consiliis et auctoritate plurimum valuit; totque dignitates laboribus et virtutibus partas lisdem artibus retinendas dum satagit, sibi et nobis decus peperit immortale. Recordamini ubinam et Calixtum Tertium, et Alexandrum Sextum, qui Petri sedem occupavere, recordamini quaeso, quoniam in Lyceo virtutibus et plurima in omni litterarum genere eruditione imbuti fuerint; et nihil amplius, nihil uberius, nihil demum ad Academiae nostrae egregium sane decus et ornamentum dici posse excellentius profecto invenietis. Ne vero aliquid honoris, ad veram omnibusque numeris absolutam gloriam Academiae nostrae desit, recordamini Philippum III. dum Bernardo Delgado Sacrae Theologiae Doctoris laurea es-

set tribuenda, litterario certamini in theatro cum ceteris adfuisse Doctoribus, et honoris gratia par stipendium accepisse. Recordamini tandem Ferdinandum amantissimum Regem nostrum visitasse hanc Academiam, omnia diligentius percurrisse, Physicis etiam experimentis hilari lubentique animo adfuisse, ac mirifice demum et Praeceptores et Academiam collaudasse.

Arripite igitur, A. O. adolescentes optimi, ex hac studiorum instauratione causam Academiae Valentinae, nempe originem, statuta, leges, et fructus ab ea emanatos: et quae hactenus a me breviter summatimque dicta sunt, et ampliora quae praetermissi vos moveant, vos hortentur, vos excitent atque accendant, ut majorum nostrorum vestigia presso pede sequamini, aureos plane pulcherrimosque veterum academicorum mores imitemini, ut Academia Valentina virtutibus et litteris sic locupletata, aureis characteribus haec verba valvis ejus apposita perlegantur: *VIRTUTIS DONUS, ET SCIENTIARUM SEDES.*

DIXI.

Imprimatur:  
Ludovicus Exarque,  
Univ. Rector.